

Latin Summer School 2022



Level 3B

# The Invisible People of Rome Slaves in Roman Texts

Tutors: Drs Michelle McVeigh and Sarah Lawrence

## Salvete Omnes!

Welcome to the 2022 Latin Summer School, Level 3B!

We decided that this year we should spend time studying those figures who are always in the background of any Roman text: the slaves. We are using excerpts from a range of different Roman authors where slaves and slavery are show-cased in some way. Of course, this isn't at all the same as having access to the slaves' own thoughts or feelings, but it is still a very interesting exercise to bring these often invisible people to the foreground. Given the nature of slave experience in the Roman world, we do need to warn you that we will be covering some material that might be upsetting. Let us know if you have any concerns.

On the following pages you will find the texts that we are planning to read and discuss this week. We may not cover all the texts, nor is it likely that they will be covered in the order in which they appear: much of the week's structure will largely be determined by your interests.

If you wish to prepare the texts in advance, you may find some of the following commentaries helpful:

- F.R. Merrill, *Plautus, Mostellaria*. Bristol Classical Press, 2002
- A.N. Sherwin-White, *The Letters of Pliny. A Historical and Social Commentary*. Oxford, 1966
- (R.) Ash (ed.) *Tacitus: Annals Book XV*. Pp. xvi + 368, maps. Cambridge: Cambridge University Press, 2018.

There are, of course, many excellent student guides and commentaries out there and lots available online, so please don't feel obliged to consult only these ones!

Looking forward to seeing you (virtually) in January,  
Sarah and Michelle.

Cover image: Soprintendenza archeologica di Pompei, no. 81580. The inscription reads:  
*DOMINUS ANCILLAE SUAE.*

## Slaves in Roman Law

Seneca, *de Clementia* I.24.1

Dicta est aliquando a senatu sententia, ut servos a liberis cultus distingueret; deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos coepissent.

Suetonius, *Claudius* 25.2

Cum quidam aegra et adfecta mancipia in insulam Aesculapi taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberos esse sanxit, nec redire in dicionem domini, si convaluissent; quod si quis necare quem mallet quam exponere, caedis crimine teneri.

Historia Augusta, *Hadrian* 18.7-11

7 Servos a dominis occidi vetuit eosque iussit damnari per iudices, si digni essent. 8 Lenoni et lanistae servum vel ancillam vendi vetuit causa non praestita. 9 Decoctores bonorum suorum, si suae auctoritatis essent, catomidiari in amphitheatro et dimitti iussit. 10 Ergastula servorum et liberorum tulit. Lavacra pro sexibus separavit. 11 Si dominus in domo interemptus esset, non de omnibus servis quaestionem haberi sed de his, qui per vicinitatem poterant sentire, praecepit.

## City vs. Country Slave

Plautus, *Mostellaria*

*Plautus' comedy, Mostellaria ("The Haunted House"), opens with this fascinating scene. Grumio and Tranio are both slaves to the Athenian merchant, Theopropides. Grumio works in the country, looking after his master's estate, while Tranio resides in the master's city dwelling, where he is able to enjoy some of the finer things. As the play opens, we discover that while Theopropides is away, the master's son has borrowed money to purchase a pretty slave-girl with whom he has fallen in love and is currently throwing a house-party. Tranio is the son's enabler and Grumio does not approve ...*

*One of the trickiest things about this text is not the grammar but the archaisms and the more obscure vocabulary. It would definitely not be considered cheating to read the text with a good commentary and a translation open beside you!*

I.i

**GRVMIO** Exi e culina sis foras, mastigia,  
qui mi inter patinas exhibes argutias.  
egredere, erilis permities, ex aedibus.  
ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe.  
exi, inquam, nidor, e culina. quid lates? 5  
**TRANIO** quid tibi, malum, hic ante aedis clamitatio?  
an ruri censes te esse? abscede ab aedibus.  
abi rus, abi diirecte, abscede ab ianua.  
em, hocine volebas? **GR.** Perii. cur me verberas? 9-10  
**TR.** Quia vivis. **GR.** Patiar. sine modo adveniat senex. 11  
sine modo venire salvom, quem absentem comes.  
**TR.** Nec veri simile loquere nec verum, frutex,  
comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.  
**GR.** Tu urbanus vero scurra, deliciae popli, 15  
rus mihi tu obiectas? sane hoc, credo, Tranio,  
quod te in pistrinum scis actutum tradier.  
cis hercle paucas tempestates, Tranio,  
augebis ruri numerum, genus ferratile.  
nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem, 20  
corrumpe erilem adolescentem optimum;  
dies noctesque bibite, pergraecamini,  
amicas emite liberate, pascite  
parasitos, obsonate pollucibiliter.

haecine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex? 25  
 hocine modo hic rem curatam offendet suam?  
 hocine boni esse officium servi existumas,  
 ut eri sui corrumpat et rem et filium?  
 nam ego illum corruptum duco, quom his factis studet;  
 quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica 30  
 antehac est habitus parcus nec magis continens,  
 is nunc in aliam partem palmam possidet.  
 virtute id factum tua et magisterio tuo.  
**TR.** Quid tibi, malum, me aut quid ego agam curatiost?  
 an ruri quaeso non sunt, quos cures, bovis? 35  
 lubet potare, amare, scorta ducere.  
 mei tergi facio haec, non tui fiducia.  
**GR.** Quam confidenter loquitur. **TR.** At te Iuppiter  
 dique omnes perdant, fu, oboluisti alium.  
 germana inluyies, rusticus, hircus, hara suis, 40  
 caeno kopron commixte. **GR.** Quid vis fieri?  
 non omnes possunt olere unguenta exotica,  
 si tu oles, neque superiores accumbere  
 neque tam facetis quam tu vivis victibus. 44-45  
 tu tibi istos habeas turtures piscis avis, 46  
 sine me aliato fungi fortunas meas.  
 tu fortunatu's, ego miser: patiunda sunt.  
 meum bonum me, te tuom maneat malum. 49-50  
**TR.** Quasi invidere mi hoc videre, Grumio, 51  
 quia mihi bene est et tibi male est; dignissimumst:  
 decet me amare et te bubulcitarier,  
 me victitare pulchre, te miseris modis.  
**GR.** O carnuficium cribrum, quod credo fore, 55  
 ita te forabunt patibulatum per vias  
 stimulis <carnufices>, si huc reveniat senex.  
**TR.** Qui scis, an tibi istuc evenat prius quam mihi?  
**GR.** Quia numquam merui, tu meruisti et nunc meres.  
**TR.** Orationis operam compendi face, 60  
 nisi te mala re magna mactari cupis.  
**GR.** Ervom daturin estis, bubus quod feram?  
 date, si non estis. agite, porro pergite  
 quoniam ocepistis: bibite, pergraecamini,  
 este, ecfercite vos, saginam caedite. 65

**TR.** Tace atque abi rus. ego ire in Piraeum volo,  
in vesperum parare piscatum mihi.

ervom tibi aliquis cras faxo ad villam adferat.

quid est? quid tu me nunc optuere, furcifer?

**GR.** Pol tibi istuc credo nomen actutum fore. 70

**TR.** Dum interea sic sit, istuc actutum sino.

**GR.** Ita est. sed unum hoc scito: nimio celerius  
veniet quod noles quam illud, quod cupide petas.

**TR.** Molestus ne sis nunciam, i rus, te amove.

ne tu [erres] hercle praeterhac mihi non facies moram.— 75

**GR.** Satin abiit neque quod dixi flocci existumat?

pro di immortales, obsecro vostram fidem,

facite, huc ut redeat noster quam primum senex,

triennium qui iam hinc abest, prius quam omnia

periere, et aedis et ager; qui nisi huc redit,

80

paucorum mensum sunt relictæ reliquiae.

nunc rus abibo. nam eccum erilem filium

video, corruptum ex adolescente optumo.—



<https://www.latimes.com/entertainment/arts/la-et-cm-haunted-house-party-review-20160907-snap-story.html>

## Cato the Elder

Cato, *de Agricultura*

*Cato the Elder is probably best known for saying 'Carthago delenda est!' During the 2<sup>nd</sup> century BCE he wrote an instruction manual on farming in which he provides the following advice about the treatment of slaves.*

[2] Pater familias, ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die, si potest, circumeat; si non eodem die, at postridie. Ubi cognovit quo modo fundus cultus siet, opera quaeque facta infectaque sient, postridie eius diei vilicum vocet, roget quid operis siet factum, quid restet, satisne temperi opera sient confecta, possitne quae reliqua sient conficere, et quid factum vini, frumenti aliarumque rerum omnium.

Ubi ea cognovit, rationem inire oportet operarum, dierum. Si ei opus non apparet, dicit vilicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse, servos aufugisse, opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixit, ad rationem operum operarumque revoca. Cum tempestates pluviae fuerint, quae opera per imbrem fieri potuerint: dolia lavari, picari, villam purgari, frumentum transferri, stercus foras efferri, stercilinum fieri, semen purgari, funes sarciri, novos fieri, centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire; per ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, munditias fieri; cum servi aegrotarint, cibaria tanta dari non oportuisse. Ubi cognita aequo animo sient quae reliqua opera sient, curari uti perficiantur.

Rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli causa quae parata sunt; rationem vinariam, oleariam, quid venerit, quid exactum siet, quid reliquum siet, quid siet quod veneat; quae satis accipiunda sient, satis accipiantur; reliqua quae sient, uti compareant. Si quid desit in annum, uti paretur; quae supersint, uti veneant; quae opus sient locato, locentur; quae opera fieri velit et quae locari velit, uti imperet et ea scripta relinquat. Pecus consideret. Auctionem uti faciat: vendat oleum, si pretium habeat; vinum, frumentum quod supersit, vendat; boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, lanam, pelles, plostrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et si quid aliud supersit, vendat. Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet.


*We will not translate the following sections during LSS; however, it has been included for those of you who are curious about how much food and clothing Cato recommends be provided for various slaves.*

[56] Familiae cibaria. Qui opus facient: per hiemem tritici modios IIII, per aestatem modios IIII S; vilico, vilicae, epistatae, opilioni: modios III; compeditis: per hiemem panis p. IIII, ubi vineam fodere coeperint panis p. V, usque adeo dum ficos esse coeperint; deinde ad p. IIII redito.

[57] Vinum familiae. Ubi vindemia facta erit, loram bibant menses tres; mense quarto: heminas in dies, id est in mense congios II S; mense quinto, sexto, septimo, octavo: in dies sextarios, id est in mense congios quinque; nono, decimo, undecimo, duodecimo: in dies heminas ternas, id est amphoram; hoc amplius Saturnalibus et Compitalibus in singulos homines congios III S; summa vini in homines singulos inter annum Q. VII. Conpeditis, uti quidquid operis facient, pro portione addito; eos non est nimium in annos singulos vini Q. X ebibere.

[58] Pulmentarium familiae. Oleae caducae quam plurimum condito; postea oleas tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito: parcito uti quam diutissime durent. Ubi oleae comesae erunt, hallacem et acetum dato. Oleum dato in menses unicuique s. I; salis unicuique in anno modium satis est.

[59] Vestimenta familiae. Tunicam p. III S, saga alternis annis. Quotiens cuique tunicam aut sagum dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant. Sculponias bonas alternis annis dare oportet.



The Patrician Torlonia bust once thought to be of Cato the Elder.  
[https://commons.wikimedia.org/wiki/File:Patrizio\\_Torlonia.jpg](https://commons.wikimedia.org/wiki/File:Patrizio_Torlonia.jpg)



## Seneca the Younger on Slavery

*Epistulae Morales* 47

*Seneca the Younger wrote a range of philosophical works and often touched on slaves and slavery in these writings. He comes across as having an acute sense of the random luck that meant some people lived their lives as masters, and some as slaves – this idea may well signal the influence of Stoic philosophy on his thinking. Here we are reading a famous section from one of his philosophical ‘letters’: the Epistulae Morales. Do keep in mind that Seneca, like every other person that we know of from the Greco-Roman world (including former slaves) does not appear to have ever questioned the existence of slavery as an institution.*

[1] Libenter ex iis qui a te veniunt cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. 'Servi sunt.' Immo homines. 'Servi sunt ' Immo contubernales. 'Servi sunt.' Immo humiles amici. 'Servi sunt.' Immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae.

[2] Itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare: quare, nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit? Est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat quam ingressit.

[3] At infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota ieiuni mutique perstant.

[4] Sic fit ut isti de domino loquantur quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum avertere; in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant.

[5] Deinde eiusdem arrogantiae proverbium iactatur, totidem hostes esse quot servos: non habemus illos hostes sed facimus. Alia interim crudelia, inhumana praetereo, quod ne tamquam hominibus quidem sed tamquam iumentis abutimur. [quod] Cum ad cenandum discubuimus, alius sputa deterget, alius reliquias temulentorum <toro> subditus colligit.

[6] Alius pretiosas aves scindit; per pectus et clunes certis ductibus circumferens eruditam manum frustra excutit, infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est qui hoc voluptatis causa docet quam qui necessitatis discit.

[7] Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum aetate luctatur: non potest effugere pueritiam, retrahitur, iamque militari habitu glaber retrit pilis aut penitus evulsis tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit et in cubiculo vir, in convivio puer est.

[8] Alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat quos adulatio et intemperantia aut gulae aut linguae revocet in crastinum. Adice obsonatores quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt cuius illum rei sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius novitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriant. Cum his cenare non sustinet et maiestatis suae deminutionem putat ad eandem mensam cum servo suo accedere. Di melius! quot ex istis dominos habet!

[9] Stare ante limen Callisti domi num suum vidi et eum qui illi impegerat titulum, qui inter reicula manicipia produxerat, aliis intransibilibus excludi. Rettulit illi gratiam servus ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur: et ipse illum invicem apologavit, et ipse non iudicavit domo sua dignum. Dominus Callistum vendidit: sed domino quam multa Callistus!

[10] Vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas ex isdem seminibus ortum eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori! tam tu illum videre ingenuum potes quam ille te servum. Variana clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc eius fortunae hominem in quam transire dum contemnitis potes.

[11] Nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Quotiens in mentem venerit quantum tibi in servum <tuum> liceat, veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere.

## An Extraordinary Freedwoman: Epicharis


Tacitus, *Annals*, 15.55 & 57

*The Emperor Nero attracted quite a lot of hostility as his reign progressed, particularly after the murder of his mother Agrippina the Younger in 59 CE. A group of discontented individuals eventually rallied around an elite Roman called Gaius Calpurnius Piso in 65 CE and amongst them was the freedwoman Epicharis. This story is interesting on many levels; note that – while Epicharis had an unfortunate role to play in exposing the conspirators, Tacitus writes of her death with nothing but admiration.*

[51] Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum Epicharis quaedam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat), accendere et arguere coniuratos; ac postremum lentitudinis eorum pertaesa et in Campania agens primores classiariorum Misensium labefacere et conscientia inligare conisa est tali initio. erat [na]uarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendae matris Neroni inter ministros, non ex magnitudine sceleris proventus, ut rebatur. is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et quam in inritum cecidissent aperit adicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse impelli et plures conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. ergo Epicharis plura; et omnia scelera principis orditur, neque sancti quid[quam] manere. sed provisum, quonam modo poenas eversae rei publicae daret: accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia exspectaret. nomina tamen coniuratorum reticuit. unde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea, quae audierat, ad Neronem detulisset. accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus innisum facile confutavit. sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur.

.....

[57] Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indico Epicharin attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent.



# The Cruelty of Masters

Pliny the Younger, *Epistulae*, 3.14

*Theoretically, Roman masters had total legal power over their slaves, including the power of life and death. This did not mean, however, that Romans were unaware that some masters were cruel to their slaves, and that some slaves had very hard lives indeed. As the following letter shows, however, slaves who took matters into their own hands were roundly condemned.*

## C. PLINIUS ACILIO SUO S.

1 Rem atrocem nec tantum epistula dignam Larcius Macedo vir praetorius a servis suis passus est, superbus alioqui dominus et saevus, et qui servisse patrem suum parum, immo nimium meminisset.

2 Lavabatur in villa Formiana. Repente eum servi circumstant. Alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus et ventrem, atque etiam - foedum dictu - verenda contundit; et cum exanimem putarent, abiciunt in fervens pavimento, ut experirentur an viveret. Ille sive quia non sentiebat, sive quia se non sentire simulabat, immobilis et extentus fidem peractae mortis implevit.

3 Tum demum quasi aestu solutus effertur; excipiunt servi fideliores, concubinae cum ululatu et clamore concurrunt. Ita et vocibus excitatus et recreatus loci frigore sublatis oculis agitatoque corpore vivere se - et iam tutum erat - confitetur.

4 Diffugiunt servi; quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur. Ipse paucis diebus aegre fociatus non sine ultionis solacio decessit ita vivus vindicatus, ut occisi solent.

5 Vides quot periculis quot contumeliis quot ludibriis simus obnoxii; nec est quod quisquam possit esse securus, quia sit remissus et mitis; non enim iudicio domini sed scelere perimuntur.

6 Verum haec hactenus. Quid praeterea novi? Quid? Nihil, alioqui subiungerem; nam et charta adhuc superest, et dies feriatus patitur plura contexi. Addam quod opportune de eodem Macedone succurrit. Cum in publico Romae lavaretur, notabilis atque etiam, ut exitus docuit, ominosa res accidit.

7 Eques Romanus a servo eius, ut transitum daret, manu leviter admonitus convertit se nec servum, a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam graviter palma percussit ut paene concideret. 8 Ita balineum illi quasi per gradus quosdam primum contumeliae locus, deinde exitii fuit. Vale.



# The Sympthy of Masters

Pliny the Younger, *Epistulae*, 8.16

## C. PLINIUS PATERNO SUO S.

1 Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum. Solacia duo nequaquam paria tanto dolori, solacia tamen: unum facilitas manumittendi — videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdididi —, alterum quod permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque ut legitima custodio.

2 Mandant rogantque quod visum; pareo ut iussus. Dividunt donant relinquunt, dumtaxat intra domum; nam servis res publica quaedam et quasi civitas domus est.

3 Sed quamquam his solaciis acquiescam, debilitor et frangor eadem illa humanitate, quae me ut hoc ipsum permitterem induxit. Non ideo tamen velim durior fieri. Nec ignoro alios eius modi casus nihil amplius vocare quam damnum, eoque sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint, nescio; homines non sunt.

4 Hominis est enim affici dolore sentire, resistere tamen et solacia admittere, non solaciis non egere.

5 Verum de his plura fortasse quam debui; sed pauciora quam volui. Est enim quaedam etiam dolendi voluptas, praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrimis tuis vel laus sit parata vel venia. Vale.

## In the Words of a Slave

Publius Syrus, *Sententiae*

*The following sayings are amongst the only remaining literary products that we have from someone in the Ancient World who had experienced slavery. Publius Syrus came to Rome from Syria as a slave in the last century BCE. He wrote many different works, but our only text is comprised of these sententiae; here's a selection that deal with slavery.*

Alienum aes homini ingenuo acerba est servitus.

Animo imperabit sapiens, stultus serviet.

(Heu quam miserum est discere servire, ubi sis doctus dominari!)

Honeste servit, qui succumbit tempori.

Minus est quam servus dominus, qui servos timet.

Mansueta tutiora sunt, sed serviunt.

Occidi est pulchrum, ignominiose ubi servias.

Pecuniae imperare oportet, non servire.

Pudorem habere servitus quodammodo est.

Qui servis crudelis est, ostendit in alios non voluntatem sibi deesse, sed potestatem.

Qui invitus servit, fit miser, servit tamen.

Si invitus pares, servus es; si volens, minister

Plerosque hominuni in domibus saevissimos, in alienis humillimos servos.

Plurimi quot servos, totidem hostes habent.

Servis imperare moderate laus est.